

A. S. S. & I. T. 16

DISCURSUS THEOLOGICUS,

De

MERITO CHRISTI,  
AN SIT?

Succinctè in *œtâ* & *Assiduetâ* adornatus:

QVEM

*E censurâ & approbatione,*

ADMODUM REVERENDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

PRÆSIDE

PETRO LAURBECCHIO,

S. S. TH. D. & PROFESSORE Primario,

Acad. h. a. RECTORE.

*Publicæ disquisitioni submittit*

SIMON BRUMERUS,

Forfiâ-Nylandus,

*In Auditorio Superiori & Maximo,*

Ad diem 15 Decembris Anni Christiani

CIO. IDC. XCIV:

---

Impr. apud Jo. LAURENTII WALLIUM.

*Perquam Reverendis, Reverendis, atque Doctissimis  
nunquam non*

**DN. JOHANNI PROCOPEO, Pastore**  
in **Wichtis** meritissimo.

**DN. SVENONI BRENNERO, Pastore**  
in **Esbo** vigilantissimo.

**DN. GUSTAVO PACHALÆNIO, Pastore**  
designato in **Kyrckslätt** accuratissimo.

**DN. CARSTENIO BERGMAN, Sacellano**  
in **Helsing** solertissimo.

**DN. JOHANNI UHONIO, Sacellano** in  
**Tuntio** fidelissimo.

RIS

DNN. *Fautoribus, Benefactoribus & Amicis  
Venerandis.*

DN. PETRO SERLACHIO, Pastori in  
Verno dignissimo.

DN. JOHANNI R S N J G/ Pastori  
in Sibbo laudatissimo.

DN. STEPHANO STROMMIO, Sacel-  
lano in Borgo diu meritissimo.

DN. GUSTAVO W J J N B E A D/ Sacellano  
in Sibbo æstimatissimo.

DN. SAMUELI MECHELÆNIO, Sacellano  
in Nurm-Järfwi perindustrio.



eneficia vestra Mœcenates atque Fau-  
tores desideratissimi, quibus me inter  
alios excepistis, eo compulerunt, ut  
nominibus vestris inclytis hoc quaecumque  
ingenii specimen inscribere ausus sim, haud  
dubius, quin illud, tanquam grati animi si-  
gnum, & observantiæ atque pietatis arrham  
pro favore vestro singulari, boni sitis con-  
sulturi. Sereno igitur ut accipiatis vultu  
est quod contendo.

*Vestrorum nominum humilis atque  
officiosus cultor.*

SIMON BRUMERUS.

DE

GRATIAE DEI FUNDAMENTO,

NEMPE

MERITO CHRISTI REDEMPTORIS.

PROOEMIUM.

§.



vandoquidem GRATIA DEI *Gratium DEI Favorem & Misericordiam* designat, quâ nos inde ab æterno dilexit, & præter omne nostrum meritum, per *Filium suum* nos sibi reconciliare & salvare constituit, secundum scripturas, 2. Timoth. i. v. 9. Rom. 3. v. 24. Eph. 2. v. 8. Rom. ii. v. 6.

utique *Gratia DEI*, ejusque dilectio & gratuita Misericordia, in uno & solo *Christi Merito* fundata est, Eph. i. v. 6, 7. *Gloriosa gratiâ suâ* gratos nos reddidit in illo dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex divite ipsius gratiâ. Quippe extra Christum nulla est erga Peccatores *Gratia*. Quia etiam solum *Christi Meritum* *Justitia divina* pro nobis satisfecit, nosque DEO Patri reconciliavit; Extra *Christi Meritum* nulla est *Peccatorum justificatio*. Non enim est in alio ullo salus: neque enim est aliud sub cælo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvari, Act. 4. v. 12. Ille est *Advocatus noster* apud Patrem, *JESUS Christus* justus. Et ille est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem solum, sed pro totius mundi, 1. Jöh. 2. v. 1, 2. §. Hâc de causâ, postquam actum hætenus à nobis de GRATIA DEI, jam de

Gratiæ  
DEI fun-  
damens-  
tum est  
Meritum  
Christi.

P

ME-

114 MERITO CHRISTI quoque nonnulla hinc adijcere, est re fore arbitramur: quando non modo à quibusdam Heterodoxis, vel Meritum Christi prorsus negatur, vel vis ejus ac dignitas magnam partem extenuatur; Verum apud quosdam quoque Orthodoxos, hoc argumentum valde tenuiter & jejune, utut disputationibus & controversiis adversariorum obnoxium, invenitur pertractatum: unde non paucis variæ obortæ sunt dubitationes, cum deprehenderent *Actus Christi meritorios* adeò in angustum cogi. Nos hanc dissertationem, brevitatis studio, tribus tantum *Articulis*, οὐδ' οὐδ', comprehendemus; nempe disquisitioni (1) *Meritum Christi AN SIT?* (2) *Ejus RATIO & NATURA quæ sit?* (3) *Quarum sit PARTIUM?* Sit itaque

## ARTICULUS I.

### MERITUM CHRISTI ALIQUOD AN SIT?

#### §. I.

**C**irca hoc momentum; quamvis *Meritum Christi*, & ex *Satisfactione* pro peccatis nostris præstita, & quoque ex nostri *Liberatione à peccati reatu, potestate Satanae, mortis atque inferni*, æstimandum veniat; Photiniani tamen impias & blasphemias voces evomunt, non tantum *Satisfactionem* Christi, adeoque *Meritum* totum, simpliciter abnegantes, sed opinionem quoque anilem appellantes, superstitiosas & Papisticas fabulas olentem, imò puerilem atque ridiculum errorem. Ita Photiniani, fœtus Diaboli & excrementa (ut à non paucis nostratium Theologorum vocantur) impugnant & tollunt fundamentum Salutis, *Meritum* utpote *Christi*, quod coram DEO justos facit, quod basis est remissionis peccatorum & justificationis, dum credentibus per fidem imputatur. *Quæ de causâ problemata* evolvere sequentia foret necessarium. §.

*Queritur* proinde *Primò*: Numquid dogma de Satisfactione Christi in Sacris literis habeat fundamentum, eisdemve repugnet? Prius adversarii illi strenuè negant, contendentes, nè unico quidem verbulo mentionem fieri in Sacris literis, aut hujusmodi per Christum satisfactionis, aut ullius rei ipsi equipollentis: quod utique deberet necessariò indigitari, & quidem frequentissimè, quandoquidem in Concionibus & scriptis nostris illam sine intermissione doctrinam inculcamus. Verùm, quia non tantùm *Literaliter* illud existat in Scripturis, quod ibi secundum eosdem characteres & apices habetur; sed illud quoque, quod secundum equipollentiam Vocum & Phrasum ibidem invenitur: ideòque Satisfactionis Christi mentionem fieri in Sacris, indubitato asserimus. Voces enim Satisfactioni Christi equipollentes sunt, (1) προσφορά oblatio, quã Christus seipsum piacularem hostiam in arã Crucis DEO Patri stitit, & peccata Mundi sustulit, Eph. 5. v. 2. Hebr. 9. v. 14. (2) ἱλασμός Expiatio, quasi piaculi seu reatus & pœnæ præstatio, vel opere ipso, vel pretio, quod in compensationem accipitur, 1. Joh. 2. v. 2. ibidem 4. v. 10. Apud Hebræos respondet Verbum *כִּפּוּר* expiavit, mundavit à peccato, item *פְּדוּת* Expiatio, redemptura; apud Græcos, λύτρον pretium redemptionis. (3) ἀπολύτρωσις Redemptio, quæ est solutio pretii ab altero præstita, ad liberationem capti vel venditi. Namque hic quatuor concurrunt: (a) Captivus homo, Colos. 1. v. 13. 2. Timoth. 2. v. 26. Act. 26. v. 18. (b) Judex Captivum detinens, DEUS, Eph. 5. v. 2. Heb. 9. v. 14. (c) Redemptor, Christus, Matth. 20. v. 28. qui Esa. 59. v. 20. Job. 19. v. 25. goël, & 1. Corinth. 1. v. 30. redemptio appellatur. (d) Pretium redemptionis, non aurum & argentum, 1. Petr. 1. v. 18. sed anima & vita, Matth. 20. v. 28. ac pretiosus sanguis Filii DEI, 1. Petr. 1. v. 19.

2. Excipiunt Photiniani, (a) *Equipollentiam*  $\alpha\pi\omicron\sigma\phi\omicron\epsilon\alpha\iota\varsigma$  seu *oblationis & satisfactionis* Christi, petitam esse ex  $\psi\upsilon\delta\epsilon\mu\upsilon\nu\epsilon\iota\alpha$  Scripturæ. Namque Eph. 5. v. 2. non *Oblationem corporis*, sed *Facti Christi*, intelligendam volunt; ut sit sensus, *Ipsum Factum* seu *opus Christi*, quo semetipsum pro nobis obtulit, non *ipsum Christum*, esse victimam & oblationem coram DEO; sicut Hebr. 13. v. 16. Phil. 4. v. 18. Opera beneficentiæ *victimæ & oblationes* dicuntur. Deinde Hebr. 9. v. 14. non *Oblationem Christi* per Mortem in passione, sed *Præsentationem* ejus in cælo significari ajunt; sicut *maectatio pecudis* in V. T. non fuit *pars sacrificii* legalis, sed ad illud tantum *preparatio*: ut hâc ratione *Oblatio* facta dicatur, in *ingressu in Sanctuarium*, Hebr. 9. v. 24, seqq. Atqui *Respondetur*: (1) Non ipsam *Traditionem*, sed *Rem traditam*, nempe *Christum*, Eph. 5. v. 2. *victimam & hostiam* dici. Scriptura enim utrumque de *Christo* dicit, & *Oblatum* esse illum, & *dedisse semetipsum* pro nobis oblationem & victimam; ut uterque *Accusativus* regatur ab eodem verbo  $\pi\alpha\rho\epsilon\delta\omega\kappa\epsilon\nu$ , quod *Christus & tradiderit seipsum, & tradiderit in hostiam & victimam*: utrumque itaque conjunctim hîc intelligendum venit. In locis autem allegatis, *Hostiarum* quidem mentio fit, sed non  $\iota\lambda\alpha\sigma\iota\kappa\omega\nu$ , qualis *Oblatio Christi* est, sed tantum  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\epsilon\iota\sigma\iota\kappa\omega\nu$ ; ceu ex contextu patet. (2) *Oblationem Christi*, Hebr. 9. v. 14. in *Arâ Crucis* factam esse, 1. Petr. 2. v. 24. dicitur, *cum peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*; *Quare presentatio sola in calis*, in *ingressu celestis Sanctuarii*, hîc intelligi nequit, Hebr. 9. v. 24. ut frustra, à *maectatione & preparatione pecudis Sacrificialis*, argumentari Photiniani instituant.

Respon-  
sio.Quâ pec-  
cati Exe-  
piatio  
acc.

3. (3) *Satisfactionis Christi & Expiationis* quod *equipollentiam* concernit, contendunt iidem, verbum  $\pi\alpha\rho\epsilon\delta\omega$  propriè esse *pice obtegere, operire*, quod Interpretes reddiderant

expi-



*expiare; At translato illud notare, ratione DEI quidem, Te-  
 gendo condonare, ratione vero nostri, Condonationem adipiscè  
 per obedientiam Deo prastitam: Verbum verò נָשַׁן per Pu-  
 rificare, non satisfacere, exponi ubiq; debere. Deniqve vocem  
 peccati, Esa. 53. v. 6, 11, 12. Rom. 8. v. 3. 2. Corinth.  
 5. v. 21. non significare Sacrificium piaculare, sed Rem abo-  
 minandam & peccatorem, cujus instar Christus habitus erat.  
 Sed ad hæc respondetur, (1) Capbar, in piel קָבָר, cum pecca-  
 tis attribuitur, vel significat luitionem & compensationem pro  
 peccato, vel ratione applicationis, notat mundationem à  
 peccatis: atqve sic tribuitur DEO remittenti peccatum, prin-  
 cipaliter; Sacerdoti, ut causa ministeriali; at Victimis, ut instru-  
 mento remissionis divinitus ordinato, psal. 49. v. 8. Num.  
 25. v. 13. Proverb. 6. v. 35. 2. Sam. 21. v. 3. Levit. 17. v. 11.  
 Sic verbum נָשַׁן, cum nocenti aut victimæ tribui-  
 tur, significat luere peccata, Gen. 43. v. 9. ibidem 31. v.  
 39. (2) Vox קָבָר, proprie Oblatio proreatu, sed metonymicè  
 pro hostiâ piaculati sumitur, ut ex Levit. 5. v. 6. planum  
 est, & alibi passim: eâqve significatione Christo accom-  
 modatur, Esa. 53. v. 10. Sive ergo וְיָי אִינְקוּיְתָם, Esa. 53. v.  
 6. & אֲנָשִׁים, peccatum, Rom. 3. v. 3. 2. Corinth. 5. v. 21.  
 interpretemur, cum Augustino, victimam pro peccatis, sive,  
 cum Bernhardo, peccatorem pro nobis factum, in idem re-  
 cidit: namqve, & ut victima, & ut peccator, Christus nostri  
 loco reus pœnam persolvit. Nihili igitur sunt, quæcunqve  
 adversarii hâc ratione, contra iudicium expiationis &  
 satisfactionis, obvertunt.*

4. (γ) Deniqve Satisfactionis & Redemptionis eludere  
 equipollentiam inde conantur; Initio, quasi redemptionis voce  
 simplex vindicatio, seu liberatio sine pretio facta innuatur, velut  
 Exod. 15. v. 13. Deuter. 7. v. 8. ibidem 9. v. 26. cap. 13.  
 v. 5. c. 21. v. 8. 2. Sam. 7. v. 23. Psal. 77. v. 16. ita Mo-

*seu à Stephano vocari ajunt λυτρωτήρ, Act. 7. v. 35. & de Jehovah dici, quòd Christum redemerit, Psal. 31. v. 6. Deinde urgent, Requistita omnia propriè acceptæ redemptionis hinc non reperiri; quia (1) DEO nullibi dicatur dari λύτρωσιν, (2) Pater ipse potius pretium dederit; nec (3) aliquid accedat DEO per solutionem pretii, & (4) absurdum sit, Diabolo, vanæ conversationi, execrationi legis, fuisse dandum λύτρωσιν, à quibus Redempti dicimur. Verùm & hinc respondetur: (a) Etsi Redemptio interdum intert simplicem liberationem, quæ fit sine pretio; hinc tamen redemptionem veram & propriam intelligi liquet, ex mentione λύτρωσιν, & adjectis determinationibus, per sanguinem Christi, Colos. 1. v. 14. sanguine pretioso Christi, 1. Petr. 1. v. 19. morte Christi intercedente, Hebr. 9. v. 12. itemq; ex opposito jure redemptorum, 1. Corinth. 6. v. 19. an ignoratis, vos non esse vestri juris? etiam ex Phrasibus, quibus enim esse dicimur, neutiquam sine pretio Est quippe hæc redemptio, non communis, quæ aliquando sine pretio esse potest, sed judicialis, semper pretium requirens. Sic Moses redemptio, de quâ est Act. 7. v. 35 erat liberatio corporalis, quæ facta est sine pretio; nostra est spiritualis, pretio sanguinis & mortis Christi constans, 1. Corinth. 6. v. 20. ibidem 7. v. 23. Act. 20. v. 28. 1. Corinth. 5. v. 7. Hebr. 9. v. 12, 14. 1. Petr. 1. v. 19. 1. joh. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5. ibidem 5. v. 9. joh. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. 1. joh. 2. v. 2. &c. Christi verò anima redempta dicitur, Psal. 31. v. 6. metaphoricè, per resurrectionem ex mortuis, non propriè, interveniente liberatore aut pretio. (b) DEO patri etiam λύτρωσιν persolutum esse, patet Rom. 3. v. 25. 1. Timoth. 2. v. 6. Hebr. 10. v. 10. Pater enim λύτρωσιν procuravit ratione decreti, acceptavit ratione meriti. (c) Si vel maximè per pretii solutionem nihil DEO accedat, suffi-*

sufficit nihil justitiæ ejus, propter illam *solutionem*, decedere.

(d) DEO datum est *λύτρον*, ut *judici*; non verò diabolo, peccato, &c. ut tortoribus nos captivos detinentibus.

5. Posterius; *An nempe doctrina de Satisfactione Christi Sacra Scriptura repugnet?* exinde stabilire iidem conantur;

(1) Quia DEUS ante mortem Filii jamdum Mundum dilexerat, Joh. 3. v. 16. cum adhuc peccatores essemus, & inimici DEI, Rom. 5. v. 8. & Colos. 1. v. 21. (2) Quia passim Scriptura doceat, peccata nobis ex *merâ gratiâ*, non quòd pro illis aliquid DEO solutum est, remitti ac condonari. Unde accusant nos *Satisfactionem Christi* asserentes, quòd ex DEO clementissimo Caracallam aut Neronem aliquem truculentissimum efficiamus. (3) Quia DEUS ipse nos sibi reconciliavit, 2. Corinth. 5. v. 19. Colos. 1. v. 20. Ergo absolum erit, *Christum suâ Satisfactione* Deum nobis reddidisse propitium. (4) Quandoquidem jubemur *Deum imitari*, in condonandis proximo peccatis, Matth. 18. v. 33. Quod si itaque DEUS non condonet delicta sine satisfactione, utique liceret idem nobis quoque facere cum proximo; Quod tamen vetat Apostolus, Eph. 4. v. 31. seq. (5) Apostoli dicuntur *Ministri reconciliationis*, 2. Cor. 5. v. 19. Si autem *reconciliatio tota in Merito Christi* est, non poterunt Apostoli esse *reconciliationis ministri*. At facile quoque Respondetur ad hæc: (α) DEUS nos dilexit ante Mortem Filii, Joh. 3. v. 16. *dilectione Generali*, seu *affectu* ab æterno nostri miserendi: *Specialem* verò *dilectionem*, seu *Absolutionem actualem* à peccatis, *Christus* nobis promeruit, Eph. 1. v. 6, 7. *Generalis misericordia Dei Meritum Christi* præcessit, sed ex *intuitu illius Meriti Reconciliationis gratia* subsequuta est. *Christi meritum* non in causâ fuit, ut Deus voluerit nostri misereri, sed ut *salvâ justitiâ suâ* id potuerit. (β) *Meritum Christi* non opponitur *DEI Misericordie*,

An satisfactio Christi Sacris Literis repugnet? Photiniani asserunt.

Respondetur.

sed

sed *justitia*, quæ illud exigebat: Et *Gratia DEI*, non *Christi meritum*, sed *Nostrum* excludit. Etiam quamvis *Patri* persolutum sit *λύτρον*, manet tamen adhuc *Gratia gratuita*, (1) Quæ *Satisfactionis decretum*, Joh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. 2. Joh. 4. v. 9. (2) Quæ *Gratuitam acceptationem*, quod alienum meritum pro nostro acceptat, Esa. 53. v. 5, 6. (3) Quæ *Applicationem beneficiorum Filii* misericordissimam, 1. Joh. 2. v. 2. ibidem 4. v. 10. Rom. 3. v. 25. (γ) Non sunt *ἀσύζητα*: *Pater nos sibi reconciliavit*, (1) Reconciliationis modum decernendo, (2) Filium mittendo, (3) Reconciliationem acceptando. *Filius* verò *nos reconciliavit Patri*, (1) Mortem subeundo, Rom. 5. v. 10. (2) *Ἀντίλυτρον* offerendo, 1. Timoth. 2. v. 6. (3) Inimicitiam interficiendo, Eph. 2. v. 15. Reconciliatio ergo nostra *Patri* convenit, ut *Causa Primæ*, *Filio* autem, ut *Causæ propinqvæ*: *Patri* quoad *Consilium*, *Filio* quoad *executionem*: *Patri* reconciliationis *medium* ordinanti, *Filio*, qui ipse *medium* fuit: *Patri*, ut *fonti* & *auctori*, *Filio*, ut *mediatori* & *redemptori*: *Patri* *inchoativè*, *Filio* *terminativè*: *Patri* *originaliter*, *Filio* *formaliter*: *Patri* *procuratoriè*, *Filio* *meritoriè*, 2. Corinth. 5. v. 19, 21. Colos. 1. v. 12, 20, 22. (δ) *Misericordia DEI* aliud est, aliud ejus *Misericordia modus*: illam jubemur imitari, non hunc. καὶ ὁμοίως, sicut, Luc. 6. v. 36. non est *similitudinis* & *æqualitatis*, sed *existentiæ*. *DEUS* enim cum *Judex* sit, *Satisfactionem merito* urget, quam nos sæpe remittere, ex *charitate Christianâ* & *Humanitatis sorte*, possumus ac debemus. (ε) *Christus* nos reconciliavit *meritoriè*, *acquisitivè*, *principaliter*; *Ministri* nos reconciliant *DEO* *oblativè*, *applicativè*, *ministerialiter*. Hæc igitur secum nullo modo pugnant, ut Photiniani opinantur. Cum itaque prorsus consentiat *Scripturis*, *Christum Merito* suo pro *Hominum Peccatis* *satisfecisse*, otiosa proinde *Questio* erit: *An Deus nobis Peccata jure condonare poterit, nullâ pro ipsis Satisfactione acceptâ?* ceu statuunt adversarii.

6. *Queritur hinc secundo: An DEUS voluerit, citra satisfactionem, peccata hominibus remittere? Ad probandum affirmativam Sociniani ostendere volunt, (1) Quòd in V. T. sine merito Christi homines salvati fuerint, exemplo Abelis, qui justam tantummodo vitam egisse dicitur, Math. 23. v. 35. exemplo quoque temporis Noa, ubi nihil nisi penitentiam DEUS requirit, Gen. 6. v. 3. 1. Petr. 3. v. 20. item exemplis aliquot post Moysen, ubi tantum mutandorum morum, & nulla satisfactionis mentio est, Deut. 4. v. 30. ibidem 30. v. 1, seqq. Psal. 32. v. 1, seq. Ezech. 18. v. 21, seqq. ibidem 33. v. 14, seqq. (2) Quòd in N. T. DEUS idem velit facere; cum aliàs sequeretur, (a) Tempora Christi fuisse rigidiora temporibus ante Christum, nec tam liberalem fuisse DEUM in his seculis gratia, quàm in illis ira. (b) DEUM non instituisse talem remissionem peccatorum sub N. T. qualem in Vetere promiserat, Jer. 31. v. 31. (3) Quòd hæc planè contraria sint, Nos à Christo accepisse remissionem peccatorum, & Christum pro Nobis satisfecisse. Aut enim Remissio peccatorum satisfactionem præcessit, aut secuta est, aut utraqve, remissio & satisfactio, conjunctim contigit. Non primum; quia, remittente DEO, satisfactione opus non fuit: Non secundum; quia nihil remitti potest illi, pro quo plenè satisfieri debet: Non tertium; quia debito, vel remisso vel satisfacto, nihil exigi potest. Sed nihil hæc contra manifestam veritatem habent roboris. Namq; respondetur (1) Patres in V. T. quod attinet, promissiones de Morte Christi jam inde à lapsu existisse, & Patres illis se contra vitæ pravitatem consolatos, Sacrificia nempe, Christi meritum repræsentantia, usque ad tempora Messia durare debuisse; etiam Patres ipsos, utpote Abelum, Gen. 4. v. 4. Noam, Gen. 8. v. 20. Judeos, ante & post Moysen, sacrificia tractasse: quæ sine fide in venturum Mesiam nihil profuerant, Hebr. 11. v. 6. Optimè igitur*

At resol-  
luntur  
Scriptur-  
is.

Q

tur

122 tur *Satisfactio* cum *Vitæ mutatione* & *novitate* consistere potuit. Requirit enim DEUS *Satisfactionem* ex parte sua, *Vitæ* autem *mutationem* & *novitatem* ex parte nostrâ. Quod (2) *secula N. T.* concernit, nullo modo sequitur, *rigidiora* & *strictiora* nunc fore *Gratiæ tempora*, si *unum* & *eundem* *Mediatorem* cum populis *V. T.* habemus, ex *Hebr. 13. v. 8.* Etiam *Jeremias*, allegato loco, ad *abrogationem oneris Moisaici* respicit, ceu patet ex *Hebr. 10. v. 16*, seqq. *ibidem 9. v. 15.* non verò ad *novum* aliquem *modum remittendi peccata*. Denique (3) *Satisfactionem* & *Remissionem* non esse simpliciter *opposita* sive *contraria*, constat inter alia, ex *Levit. 4. v. 31, 35.* ubi *Expiationi* sacerdotis *Remissio peccati* conjungitur. Aliàs, *remissio absoluta* quidem cum *satisfactione* pugnat; *DEI* verò *remissio conditionata*, *satisfactionis* effectus est. Excludit quidem *remissio solutionem propriam ejus, cui fit remissio*, sed non *omnem* simpliciter *alterius* & *alienam*: Sicut *Satisfactio*, ratione *Christi*, meræ erat *liberalitatis*; ratione *Nostri* autem, *Christi* *passione* & *morte* constitit.

An in a-  
ctibus  
Christi  
Exinan-  
itionis  
& Exal-  
tationis  
vis ali-  
qua Meri-  
toria sit?  
Contra  
præfractè  
negantes  
Photini-  
anos, id  
ex Sacra  
Scripturâ  
adducit  
arg.

7. Tertiò denique queritur: An, in actibus Christi Exinanitionis & Exaltationis, vis aliqua Meritoria collocanda sit? Photiniani illud ἀποτόμως negant, quòd nusquam id in Scripturâ doceatur. Verùm ex adverso, Meritum Christi in Scripturâ verè doceri & exprimi, imò exstare & adstrui, etsi non ἀυτολεξεί & quâ Vocabulum, secundum rem tamen & phrasium equipollentiam, ac Consequentias evidentes, tam circa actus Exinanitionis, quàm Christi Exaltationis, clarissimè patet. Quâ Actus Exinanitionis; (1) Ex Act. 20 v. 28. quia ὁ Θεὸς περιεποιήσατο τὴν ἐκκλησίαν διὰ τῆ ἰδίας αἱματός, DEUS acquisivit sibi Ecclesiam proprio sanguine, Quod explicatur, Apoc. 5. v. 9. per ἡγόρευσε τῷ Θεῷ ἡμᾶς ἐκ τῆ αἱματί σου, emit nos. DEO in suo sanguine, ἐκ πάσης φύλης.

Φυλῆς καὶ γλώσσης, καὶ λαῖ καὶ ἔθνεσ, ex omni tribu & lin- 103  
gna, & populo ac gente. Etiam vox περιποιῆσαι, Ac-  
quirere, de Liberationis nostrae opere in Scripturâ occurrit,  
Eph. 1. v. 14. 1. Thess. 5. v. 9. Unde ἀπολύτρωσις περιποι-  
σεως, redemptio seu vindicatio acquisitionis nostri, & περιποι-  
ησις σωτηρίας, Acquisitio Salutis nostræ, Christo tribuitur,  
(2) Ex Hebr. 9. v. 12. Per proprium sanguinem ingressus est  
semel in Sancta, αἰωνίαν λύτρωσιν ἐνεργήσας, eternâ re-  
demptione inventâ, seu postquam eternam redemptionem inven-  
erat. Declarat id Apostolus, Eph. 1. v. 7. ἐν ᾧ (Χριστῷ)  
ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, in quo, nempe  
Christo, habemus redemptionem per Sanguinem ejus. Confer  
Colof. 1. v. 14. Et quidem ἀπολύτρωσιν ἐνεργήσας nihil si-  
gnificare potest, quam qui Redemptionem promeruit.

8. Deinde idem Christi Meritum innuitur, quâ Actus quos,  
Exaltationis; (1) Rom. 8. v. 34. ubi Condemnationi nostrae  
propter peccata, non tantum Christi Mors opponitur,  
sed simul Actus Exaltationis ipsius, sicut Resurrectio, Sessio  
ad dextram DEI, & Intercessio pro nobis apud Patrem. Unde  
Illatio est firmissima; Per quos Christi actus liberati sumus  
â Condemnatione, illi etiam sunt meritorii, atque ad Me-  
ritum Christi pertinent: Atqui per Actus Exaltationis, hîc  
ab Apostolo indigitatos, liberati sumus, ut non sit qui con-  
demnet; Ergo. Hinc B. D. Balduinus ad hunc locum, a-  
phorismo 22. ait: Finis Mortis & Resurrectionis Christi, ut  
& omnis subsequente gloria, non exemplum duntaxat nostrae Imi-  
tationis est, sed potius Meritum Redemptionis. Nihil enim aliud  
opponere possumus accusationi Satanae & Legis, quam Christum,  
qui pro nobis Legi subiectus, & maledictum factus, condemna-  
tionem abstulit à nobis, & justitiam peperit. Et B. D. Hunnius  
ad hæc Apostoli verba annotat: Habent Electi intercessorem  
& patronum Christum, causam ipsorum egregie agentem; quippe  
Q2  
qvi

qui mortuus pro ipsis, hac sua morte peccata illorum delebit, resurrectione sua iustitiam illis attulit, & nunc ad dexteram DEI sedens, vi & plenitudine infiniti sui meriti pro ipsis perpetuo intercedit. (2) Colof. 2. v. 14, 15. ( ubi perfecta à Christo nostra Redemptionis Modus, ab Apostolo describitur, per Deletionem Chirographi, & Exspoliationem Principatum ac Potestatum ) suppeditatur Argumentum ejusmodi: Per quos actus Christi, condonata non modò nobis sunt omnia delicta, sed & triumphus ab omnibus nostris hostibus partusest, illi utique sunt Meritorii, & Meritum Christi spectantes: At Delectio Chirographi, sive Paradisiaci, sive Motaici, sive conscientiae, in Peccatorum quorumvis remissionem, per Mortem Christi & Sangvinis effusionem, I. Joh. I. v. 7. etiam Exspoliatio Principatum ac Potestatum, ut palàm ducerentur in triumpho, ad acquirendum nobis de Satanà & Inferno Victoriàm, Hebr. 2. v. 14, 15. sunt Actus illi Christi, Exinanitionis & exaltationis; Ergo. Hinc concludit B. D. Balduinus in loci allegati Commentario: *Destructum quidem est regnum Satanae per Christum, in salutem totius mundi, sed precedente destructione Chirographi, quod adversum nos erat. Et infert: Qui non patiuntur Sangvine Christi chirographum peccati in conscientiis suis aboleri, his frustra Christus mortuus est, & in hos jus habet Satan.*

9. Oggerunt hic Photiniani varia, quibus Meritum Christi annihilare quærun. Utpote (a) Meritum esse contra naturam satisfactionis, nempe opus indebitum; cum satisfactio contra sit debiti solutio de jure, nec Gratiam mereatur. Unde concludunt, Christum pro nobis satisfaciens, & solventem quod pro nobis DEO debuerat, sic nihil esse nobis promeritum. Sed responsio est in proclivi: Nempe (1) Meritum & Satisfactionem, si respectu ejusdem, vel subjecti & finis cui, vel objecti, considerentur, non posse

Refutatur ad  
versarii.  
Objectio  
I,  
Respon-  
sio.



posse quidem unà consistere. Verùm, quia à parte ob-  
 jecti, Satisfactio DEI justitiam respicit, Meritum autem ejus-  
 dem misericordiam; à parte verò Subjecti & finis cui, Satis-  
 factio præstita sit DEO, ad leniendam ejus iram, Meritum  
 denique hominibus acquisitum, ad recuperandam DEI gr-  
 tiam: hinc, Satisfactionem & Meritum Christi non esse à se  
 aut impossibilia, evidenter manifestum fit. (2) Solu-  
 tio quidem proprii debiti non est meritoria; at secus se res  
 habet in solutione debiti alieni, quâ alteri, utpote homini  
 sub Satanâ captivo, immunitas acquisita est. Ajunt (β) Re-  
 demtionem nostri per Christum esse tantum Metaphoricam, sine ullo  
 pretio; sicut absque pretio Moses, qui fuit typus Christi, liberavit  
 Israëlitas, appellatus propterea λυτρωτής, Act. 7. v. 35. etiam  
 quia vocabulum redimere ita accipiat, Exod. 15. v. 16.  
 Deut. 9. v. 26. Psal. 77. v. 16. Heb. 11. v. 35. quin Christus  
 ipse redemptus dicatur, etsi tantum metaphoricè. Psal. 31. v.  
 6. At respondetur (1) distinguendo inter redemptionis signifi-  
 cationem, formalem & effectivam, spirituales item & corpo-  
 ralem redemptionem. In significatione quidem effectivâ, cum  
 Redemptio notat liberationem corporalem, ut in adductis testi-  
 moniis liberationis Israëlitarum ex Ægypto, metaphorica  
 illa & sine pretio, interdum habet locum: At in significa-  
 tione formali, de liberatione spirituali usurpatâ, semper pre-  
 tium mortis Christi supponit, ut ex Scripturis constat. (2)  
 Moses fuit typus Christi, in officio prædicandi & liberatione  
 in genere, non in modo redemptionis: (3) Redemptio, quâ Chri-  
 stus liberatus est, fuit Extrajudicialis, ideòque pretio opus  
 non habuit: verum nostra redemptio judicialis est, pretium  
 igitur necessariò requirebat.

10. Objiciunt (γ) non potuisse Christum præstare ea  
 omnia, quæ nos facere debueramus; quia ipse pro se præsta-  
 re illud debuit, ex ordinatione patris, Gal. 4. v. 4. imò i-  
 psam.

Objectio  
 2.

Res  
 sponso.

Objectio  
 3.

126 ipsam quod sibiire Mortem, Joh. 10. v. 38. etiam ipse pro se Premium reportavit, longè supra labores & mortem suam, Phil. 2. v. 9. seqq. hinc passione & morte suâ pro aliis satisfacere non potuit: quippe justitia unius fieri alterius non potest, tantò minus innumerabilium. Respondetur autem (1) Sicut Christus non propter se, sed propter nos factus homo est; ita non propter se, sed propter nos est in Mundum missus, & Legi subiectus, ut nempe nos legi obnoxios redimeret, quò adoptionem filiorum reciperemus, Gal. 4. v. 4, 5. Est enim Christus non nudus homo, sed Θεῶν Ἰσῶν, etiam secundum humanam naturam Dominus Sabbathi, Matth. 12. v. 8. Marc. 2. v. 28. & sic consequenter totius Legis. (2) Obediens factus est Christus Patri usque ad Mortem, Phil. 2. v. 8. non necessitate nature, sed æconomia nostræ Redemptionis; Sicut etiam vis Meriti Christi, non Natura Humana, quâ natura, sed quâ DEO unita, adscribenda venit, ut inde exuberantia Meriti profluat. (3) Vox Dî, propterea, Phil. 2. v. 9. non Causam exaltationis, sed Consequentiam Paternæ Promissionis notat: quia namque pro se non laboravit, ideo nec pro se Premium tulit propter laborem, sed tantum consequenter ex DEI promissione. (4) Justitia Christi, etsi ratione actus est aliena, fit tamen nostra ratione Imputationis, Rom. 4. v. 3, 5, 9, &c. Gal. 3. v. 6. Obvertunt (d) Vel majorem fuisse Filii amorem erga homines, quàm Patris, si dicatur Filium sibi ipsi satisfacisse & Patri, Patrem autem non sibi ipsi satisfacisse: Vel si solus Filius satisfecerit, tolli unitatem voluntatis inter Patrem & Filium; Quippe Filius, si nobis iratus, indiguit ipse Satisfactione, non iratus verò, à Patre dissensit, quomodo tollitur Voluntatis unitas. Quare Satisfactio Christi, ejusque Meritum, consistere nequeunt. Atqui Respondetur breviter, (1) Esse Ignorantem Elenchi, in Oppositione eorum, quæ subordinanda sunt, & confusione ordinis Personarum.

Pater

127  
Pater enim nos æquè dilexit ac Filius, quin tamen Pater  
moretur, id obstitit, quòd incarnatus non est. Uterque  
Pater & Filius irascebatur, secundum rigorem justitiæ; uterq;  
placabilis est, secundum temperamentum Misericordiæ. Una  
etiam utriusque est Voluntas reconciliationis, licet Modus exe-  
cutionis differat. (2) Sarcaismus Ostorodi, quærentis: An  
Spiritus S. in reconciliatione DEI, fuerit à parte Patris aut  
Filii? Impugnat non modò Meritum Christi, sed pariter  
existentiam Spiritus S. adeoque consequenter ipsum Trinita-  
tis mysterium. Sed hîc inter personas Divinas, nulla bo-  
stilis voluntatum repugnantia fingenda erit, at mirabilis  
Operationum Oincopia attendenda, in quâ Spiritus S. uni-  
tissimè utrinque concurrat.

II. Obijciunt (ε) Metonymicè tantum ea tribui morti Christi, Objectio  
quæ post securæ resurrectioni, adeoque ejus Potestati divina com- 51  
petunt. Idque demonstrare nituntur ex variis Scripturæ  
locis; ut Hebr. 9. v. 15. ubi apertè affirmatur, morte Chri-  
sti interveniente promissionem accipi aeternæ hereditatis. Joh.  
12. v. 32. dicit Christus, attracturum se omnes, cum exaltatus  
fuerit; ergo Metonymicè causa salutis attribuuntur morti Chri-  
sti, quæ tamen resurrectioni ejus competunt; utpote resur-  
rectio nostra, 1. Corinth. 15. v. 14, 17. regeneratio, 1. Petr.  
1. v. 3, 21. item Hebr. 2. v. 14. per mortem Christi dicitur  
diabolus destructus, cum tamen sic diaboli imperium se val-  
de exseruerit; quare verba, de destructione diaboli per mortem  
Christi, non de ipsâ mortis passione accipienda ajunt, sed  
quòd post mortem Christi diabolus destructus sit, nempe per  
Christi exaltati potentiam. Atque sic in morte Christi nul-  
lam meriti rationem, aut vim meritoriam salutis, agnoscere  
volunt. Sed Respondetur, notandum esse, (1) per Metony-  
miam sæpissimè tribui causa efficienti vel antecedenti, quod

Respon-  
sio

esse

*effecto sive conſequenti rei alicujus tribuendum erat. Inde enim eſt, quòd morti Chriſti attribuitur id, quòd ejusdem reſurrectioni, & maximè Potèſtati ejus divina, competit. Etiam ipſa Chriſti Mors vim habet non vulgarem, in nobis deſiderium Salutis excitandi; multò tamen plus valet Chriſti Reſurrectio & Exaltatio, & ſumma ejus Potèntiæ, quàm Mors ipſa: Sicut inde argumentatur Apoſtolus, Rom. 5. v. 10. ibidem 8. v. 34. (2) Nihilominus, in hoc momento, Noſtrates contra urgent, (a) Quòd ſine Sangvinis effuſione nulla ſit remiſſio, Hebr. 9. v. 22. (b) Nos Sangvine Chriſti emundari à peccatis, 1. Joh. 1. v. 7. Hebr. 9. v. 12, 14. (c) Chriſtum dici mortuum propter peccata noſtra, Rom. 4. v. 25. (d) Reconciliatos nos eſſe DEO per Mortem Filii ejus, Rom. 5, v. 11. (e) Quòd Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, 1. Petr. 2. v. 24. &c. Quapropter (3) Quando ipſi quoque Reſurrectioni eadem Effecta adſcribuntur, quæ Chriſti Morti, id non excluſivè aut oppoſitè intelligendum erit, quaſi Mors Chriſti ad expiandum peccata, & Salutem promerendam, nihil ponderis habuerit: Sed accipiendum illud, (a) reſpectu Maniſtationis; quia Reſurrectio Chriſti eſt evidens Redemptionis teſtimonium: (b) reſpectu Confirmationis, cum ideo Chriſtus ſurrexerit, ut juſtitiam credentibus confirmaret; quippe adhuc de Meriti ſufficienciâ dubitandum eſſet, ſi Chriſtus in morte manſiſſet, & morte adhuc dominante, nondum haberet locum Peccatorum abolitio. (c) reſpectu Applicationis, ut per reſurrectionem & vitam ejus ſervaremur, & beneficia Chriſti morte parta per potentiam ipſius nobis conferrentur: (d) reſpectu Abſoluti-  
onis actualis à peccato, Rom. 8. v. 34. Atque eodem ſenſu reliqua dicta allegata intelligenda veniunt.*

*Dilectissime Amice,*

Cum pandis CHRISTI meritum delicta re-  
solvens,

Quam Te pro merito pulchra corolla manet!

ENNES GESTRINIUS.

---

VIRO - JUVENI,

*Erudito & morum elegantia condecorato*

DN. SIMONI BRUMERO,

Sympatriotæ ac amico meo integerrimo,

hiscæ congratulor:

Jam specimen docti ingenii deponis, ut omnis  
Hinc possit studis reddere vota tuis,  
Maecte igitur jam jam, Meritum defendito Christi,  
Displicet hoc nunquam sedulitatis opus!

GABR. Forststeen.

---

SIMON BRUMERUS,

*Per Anagramm.*

REM. MURUS. NOBIS.

Centumanni ut quondam captivo brachia cælo  
Injicere affectant, æthereasque sedes

Sperant, inceptis finis malè conveniebat;

Antris nam Siculis membra sepulta jacent.

Sic quoque falsa ruunt nunc dogmata Photiniana,

Sanguine queis Christi sic merito obstrepere

Pario jam pergunt; dum clara hæc scripta tueri

Præsidis aggredieris, Magnifici & Cælebris.

REM. Tu sic gratam Patriæ Summoque Monarchæ

Edis, quæ grata est Castalidumque Choro.

Perg

Perge igitur nifu doctas lustrare Camœnas,  
Sic manet atque venit messis opima Tibi.  
Confecto senio sis MURUS utrique parenti,  
Illos ne sumtus pœnituisse queat.  
Gaudia fac tuleris NOBIS quoque sanguine junctis,  
Votivis optat vocibus & precibus

*Affectu quam verbis prolixior*

ERICUS BRUMERUS.

---

**A**lma dies boreo pulchrè quæ splendet in axe,  
Alma dies præfens condecorat studium,  
Addictus fueras cui tempore perbene multo,  
Usum jam longum forsitan inde feres.  
Cum placuit doctis adeo clarescere chartis,  
Atque Tibi in votis docta Minerva fuit.  
Hinc capies tandem meritis condigna Brabea,  
Quæ meruit virtus, quæ meruere dies.

Officii declarandi ergò adposuit

ERICUS CASSELIUS.

---

**B**RUHERE, ingenii specimen dum tradere tentas  
Præsede sub Celso, Sacras coluisse Sorores  
Te, Sacer Auræius perfentiet ordo Virorum:  
Perge bonis astris, studiis incumbito cæptis,  
Præmia ut accipias tandem cum fœnore largo;  
Sic vovet atque optat Patrioræ semper amando!

GUSTAVIUS SOLITANDER.

---

**S**candere dum Satagis doctorum pulpita sacra  
Scriptaque Thejologum dum Tibi mente proba  
Complacet egregiis defendere vocibus, unde  
Eaus Tibi cum multo fœnore semper adest,  
Nunc grator; studiis quoque prospera fata precabor  
Atque omne ut fausto Sydere vergat opus!

AND: JONAS WINE.